



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Vita B. Francisci Xaverii**

**Torsellini, Orazio**

**Coloniae Agrippinae, 1610**

XV. Quales esse optaret homines è Societate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42323**

Prou. 22.

*Domorū  
adificia.**Aliarum  
Religionū  
homines  
concilian-  
di.*

dalum omni ope fugeretur, vel cum detrimento rei familiaris. *Melius* utique esse bonum nomen quàm diuitias multas. Quamobrem magnoperè eos monebat, vt virtutum magis quàm domorum adificijs dediti, adificationem ædium non ad elegantiam referrent, sed ad necessitatem commoditatemque habitationis. Si quid esset in bonis ac fortunis quod faceret negotium, velut vectigalium pecuniæq; debitæ exactio, id munus, haud minùs inuidiosum quàm necessarium, conducto procuratori potiùs quàm domestico demandarèt. Impensè verò Præpositos Societatis orabat, vt aliarum Familiarum Religionumque moderatores, religiososque viros omnes ac Sacerdotes, conciliarent sibi, & cū eis quàm concordissimè amicillimèque viuerent. Proinde ad eos interdum irent salutarum, seu beneuolentiæ conciliandæ tuendæque gratiâ, seu concordia coniunctionisque declarandæ.

## CAPVT XV.

*Quales esse optaret homines è Societate.*

SOCIETATIS homines experebat demissos, obediētes, moderatos, & omni-

omnibus in rebus, à quibus vitiosa abhorret natura, victores sui. Sine his quippe virtutibus neminem è Societate, nec Deo carum acceptumque, nec sibi aut alijs vtilem fore, nec æquo quietoque animo in Societate victurum. Proinde omnes in sui ipsius cognitione multum ac dia versari oportere, & fibris euulsis cupiditatum, veræ humilitatis ac virtutis radices altius agere. Namque vt qui ex acerbissima Christi morte & cruciatibus dolore ardeat, facile talem dolorem inurat alijs; ita qui nimios animi sui motus domitos habeat compressosque, haud sanè difficulter eosdem in alijs quoque regere & coërcere posse. Neminem verò aiebat hoc nomine multum sibi tribuere debere, quòd iam diu esset in Societate: neque enim temporis diuturnitate, sed magnitudine virtutis, Sociorum metientem esse dignitatē. Quippe cum sui pudere magis quàm sibi placere par foret eos, qui tam diu versati in schola virtutis, tam paruos in virtute progressus haberent, *semper discentes, & nunquã ad scientiam* 1. Tim. 3. *veritatis peruenientes.* Iam vetabat hominum de se opinionem intueri, ne fortè fallax illa rerum facies superbiam elationemque pareret, certissimã pestem ac venenũ Societatis. Contraque auertere ani-

mos

*Nemo sibi  
nimium  
debet si  
mere, q̄  
diu fuerit  
in Socie-  
tate.*

*1. Tim. 3.  
Opinio ho-  
minum de  
nobis con-  
temnen-  
da.*

*Sui cogni-  
tio funda-  
mentum  
humilita-  
tis.*

*Dei fidu-  
cia.*

*Rerum di-  
uinarum.  
meditatio  
commen-  
datur.*

mos iubebat ad suæ cognitionem imbecillitatis, præcipuè verò ad salutarem illam cogitationem, quantum tandem inter humana iudicia interfit & diuina, atque inibi fundamenta iacere humilitatis suæ. Nam qui intèriùs consideret, quanto secus de hominibus Deus scrutator cordium iudicet, quàm homines actionum spectatores, profectò coram Deo quàm maximè demissurū se, humanasq; laudes, quippe tam longè abhorrentes à vero, pro crucibus irrisionibusq; subiturum. Neque tamen committendum esse, vt nostræ nobis infirmitatis conscij in Christi militia obsequioq; cadamus animis: sed potiùs id agendum, vt quàm nostris diffusi viribus, tam freti diuinis, ingentes prorsus animos capiamus, egregiam numini operam ipso iuuante nauaturi. Hanc vero perfectæ virtutis consequendæ ostendebat viam, vt sui cuique prima esset cura, & suam quisque conscientiam bis in die (si fieri posset) certè semel excuteret; summa vi tendens, vt vitia in se ipso deprehensa prorsus corrigeret: antiquissimam insuper haberet quotidianam rerum diuinarum meditationem: nullumq; diem sine tali mentis pabulo sineret præterire. Et meditationem versari atque harere in vita, cruciatibus,

tribus, ac nece Christi Domini volebat,  
 utpote materia absolutæ virtutis, pro-  
 priaq; Societatis IESV. Auctor etiã erat,  
 sub meditationem contra Satanæ impetu-  
 tus atque insidias vota renouandi quo-  
 tidie, tentationesque omnes Diaboli, &  
 virtutum studia, non tantum vitiosas af-  
 fectiones enunciandi Confessarijs, Præ-  
 positis, spiritualibusque viris, qui eos  
 consilio possent aut auxilio iuuare. Eam  
 quippe vim esse demissionis huius, ut  
 non modò plus lucis opisque diuinę im-  
 petret ad pugnam, verumetiam impor-  
 tunissimos ludificetur hostes, qui suas  
 insidias patefactas, petitiones depulsas,  
 consilia fracta intuētes, profectò segnio-  
 res fiunt ad oppugnandum; demumque  
 victi discedunt ab ijs, à quibus victores  
 antè discesserant. Obedientiam verò re-  
 quirebat cæcam: ut suo iudicio atque o-  
 pinione omiſſa, omnib<sup>9</sup> in rebus (diuina  
 scilicet lege salua) sine retractatione aut  
 cunctatione parerent; ne optata odiosè  
 importuneque efflagitarèt à Rectoribus,  
 aut eorundem imperium arte quadam  
 ad suam detorquerent cupiditatem, sed  
 utro suam quisque sententiam dirigeret  
 ad illorum voluntatis interpretationem;  
 scq; totos hominum Dei personam ge-  
 nentiũ arbitrio permitterent, traderentq;  
 rata

*Obedien-  
 tia qualis  
 esse de-  
 beat.*

rati omnibus in rebus præcipiendis eam illis mentem diuinitus datum iri, quæ plus & Deo honoris, & ipsis commodi, esset paritura. Nam qui secus facerent, sæpe in magnas molestias, perturbationes, miserasque incidere dicebat. quæ mala homines pernicioso errore excæcati existimarent à Domini cruce obedientiaque nasci, cum nasceretur ex praua ipsorum voluntate ac iudicio. Quamobrem semper parère mallerent, quam imperare: cum præsertim regi ab alio, tutum sit, seipsum regere, periculosum. Ut enim interdum rectè sibi quis imperet, certè cæco sui quemque amore deceptum sapius errare. Præcipiebat etiã, ut si quando in humilibus abiectisque versarentur ministerijs, impensè enixeque ea exsequerentur, & quàm maximum ex ijs humilitatis caperent fructum; nihilque eo tempore gratius & acceptius Deo, cuius nomine illud imperaretur, ab se fieri posse crederent, memores minora munia rudimenta esse maiorum: segnem in infimis animum non solere in summis excellere; contraque alacrem in paruis, facile in magnis quoque vigere. Namque ut Christus ait: *Qui fidelis est in minimo, etiã in maximo.* Illud porro sapienter monebat, ne, tamen uberioribus spes fructus aliò eos vocaret.

*Humilia  
munia  
amplectē-  
da.*

Luc. 16.

*Locus as-  
signatus*

eret, locum sibi à Præposito assignatum *non desera-*  
 desererent negligenter. Haud dubiam *rendus.*  
 enim esse fraudē inferni hostis, futurum  
 atque incertum alieni loci fructū osten-  
 tantis, ut nos à præsentī certoque fru-  
 ctu destinatae abducat regionis: quo  
 videlicet anticipati distractos cura ludifice-  
 tur, inanesque dimittat: quippe cum ne-  
 que agrum alienum à quo absis, neque  
 tum à quo abhorreas, ambiguus colere  
 animus queat. Salutare hoc præceptum  
 trita illa firmabat Apostoli voce: *Dum Gal. 10.*  
*tempus habemus, operemur bonum.* Quo-  
 circa confidere eos iubebat, si Deo cordi  
 foret quod expeterent, iniecturum utiq;  
 illum hanc mentē Rectori, ut ipsos mit-  
 teret, quò magis è re foret diuina. Verùm  
 enim uerò errare grauiter aiebat eos, qui *Honos ma-*  
 uellent in honore haberi propter virtutes *iorū vir-*  
 & facta egregia maiorum suorum, à qui- *tute va-*  
 bus ipsi degenerassent. Similiter enim *nus.*  
 istos facere, ut qui alienis ornati vestibus,  
 honorem ac diuitiarum opinionem au-  
 cupentur. Nimirum fatius esse iisdem in-  
 sistentem vestigijs, maiorum virtutem ac  
 decus æmulari, quàm ab eis degeneran-  
 tem aliena bona ostentare pro suis. Cæ-  
 terùm illud non sapientius monitū quàm  
 salubrius. Præcipiebat domesticis in im-  
 bratili adhuc disciplina versantibus, ne  
 ante

*Non ante* ante tempus in aciem ac pugnam exire  
*tēpus exe-* gestirent; neque nimium suis confiderent  
*undū ad* viribus, cernentes iamdiu se grauiore no-  
*alios in-* xa vacare: vtique cum sæpè tyronum  
*mandos.* salutem non tam virtus quàm ipse tute-  
 tur locus, facile arcens hostiles impetus,  
 illecebrasq; peccandi. Proinde dum po-  
 nerent tyrocium, impensè pectus soli-  
 da munirent virtute, vt tutò deinde inter  
 hostium tela versarentur.

## CAPVT XVI.

*Concionatores Societatis quales expe-*  
*teret.*

*Conciona* SOCIETATIS concionatores identi-  
*tores non* dem admonebat, ne seipso prædica-  
*se, sed Chri-* rent, sed Christum crucifixum; hoc est,  
*stum præ-* ne subtilibus quæstionibus disputationi-  
*dicare de-* busque à vulgi sensu atque intelligentia  
*bent.* abhorrentibus tractandis, doctrinam  
 suam atque ingenium ostentarent, po-  
 pularem auram, plausumque captantes:  
 verùm eorum sermones plerumque in  
 rebus versarentur moralibus, planis, &  
 ad vulgi captum accommodatis; quæ  
 scilicet modeste, piè, prudenterque ex-  
 plicatæ, haud parum valerent ad sanan-  
 das hominum mentes. Itaq; hoc habe-  
 reat